



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Concilivm Londoniense Contra Sacrilegos Rervm Et personarum ecclesiasticarum violatores celebratum anno Domini MCXLIII. sub Caelestino papa II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

CÆLESTINVS C. LONDONIENSE. CONRADVS III. IMP.
P. II. STEPHANVS R. ANGL. 155

quinque & diebus tredecim, secundum Ottонem Frisigensem, mensibus fere sex pontificatum tenuisset, obiit anno Domini 1144. & sepultus est Romæ in basilica Constantiniana. Vaticanus codex de vitis pontificum ista habet: Hic fecit ordinationem per mensem Decembrem, in qua creauit diaconos septem, presbyteros per diuersa loca, & episcopos per diuersa loca Defunctus est apud Palladium octauo Idus Martii, & in ecclesia Lateranensi tumulatus.

Tempus sedis & obitus papa.

ANNO CHRISTI
1145. **CONCILIVM LONDONIENSE**
CONTRA SACRILEGOS RERV M ET
personarum ecclesiasticarum violatores celebratum
anno Domini MCXLIII. sub Cælestino papa II.

NOTA.

* Concilium.] De hoc Concilio Rogerus in annalibus his verbis: Anno gratia millesimo centesimo quadragesimotertio, qui erat annus octauus regni Stephani, rex Stephanus interfuit Concilio Londonie in media quadragesima. Quo quia nullus honor vel clericis vel ecclie Dei a raptoribus deferebatur, & aque capiebantur & redimebantur clerici ut laici, tenuit idem Vintoniensis episcopus Vrbis Romanae legatus Concilium apud Londoniam, clericis pro tempore necessarium: in quo sancitum est, ne qui alicui clero violentas manus iniecerit, ab alio posset absolui, quam ab ipso papa, & in praesentia ipsius. Unde clericis aliquantulum serenitatis vix tandem illuxit. Haec Rogerus. De eadem Synodo, Anno, inquit Matthæus Paris, 1142. Uvilielmus Vintoniensis episcopus, & sedis apostolica legatus, in media quadragesima, apud Londoniam, Concilium, rege presente & episcopis, celebrait. Nullus enim honor vel reverentia ferebatur Dei ecclie vel eius ordinatis a predonibus sceleratis, sed aque clerici & laici capiebantur, redimebantur, & in vinculis tenebantur. Sancitum est ergo ibi, & generaliter constitutum, ne aliquis, qui eccliam cæmeteriumque violauerit, vel in clero aut viro religioso manus iniecerit violentas, ab alio quam ipso papa posset absolui. Statutum est etiam, ut aratra in campis cum ipsis agricolis talem pacem habeant in agris, qualem haberent in cæmeterio, si extitissent. Excommunicauerunt autem omnes qui contra hoc decretum venirent, candelis accensis, & sic miliorum rapacitas aliquantulum conquieuit.

Tempus &
acta Con-
cili.